

# HOOFDSTUK 3 PLINIUS' PANEGYRICUS

## 3. PLINIUS BEGINT ZIJN DANKREDE (*Pan.* 1)

### a. Een gebed is gepast bij mijn dankbetuigingen (1, 1-3)

1 Bene ac sapienter, patres conscripti, maiores instituerunt  
ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus  
capere, quod nihil rite, nihil providenter homines sine deorum  
immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Qui mos  
5 cui potius, quam consuli aut quando magis usurpandus  
colendusque est, quam cum imperio senatus, auctoritate rei  
publicae, ad agendas optimo principi gratias excitamur? Quod  
enim praestabilius est aut pulchrius munus deorum, quam castus  
et sanctus et dis simillimus princeps?

### b. Jupiter heeft immers gezorgd voor een voortreffelijke keizer! (1, 4-6)

1 Ac si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris an  
aliquo numine darentur, principem tamen nostrum liqueret  
divinitus constitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed  
ab Iove ipso coram ac palam repertus, electus est: quippe inter  
5 aras et altaria, eodemque loci, quem deus ille tam manifestus  
ac praesens quam caelum ac sidera insedit. Quo magis aptum  
piumque est te, Iuppiter optime, antea conditorem, nunc  
conservatorem imperii nostri, precari, ut mihi digna consule,  
digna senatu, digna principe contingat oratio, utque omnibus  
10 quae dicentur a me, libertas fides veritas constet, tantumque a  
specie adulationis absit gratiarum actio mea, quantum abest a  
necessitate.

## 5. DE GROOTSHEID VAN DE KEIZER VALT OP DOOR VERGELIJKING MET VORIGE KEIZERS (*Pan.* 52-53)

### a. U, Trajanus, bent tevreden met een enkel bronzen standbeeld (52, 1-3)

1 Horum unum si praestitisset alius, iam dudum illi radiatum  
caput et media inter deos sedes auro staret aut ebore,  
augustioribusque aris et grandioribus victimis invocaretur.  
Tu delubra non nisi adoraturus intras, tibi maximus honor  
5 excubare pro templis postibusque praetexi. Sic fit, ut di <tibi>  
summum inter homines fastigium servant, cum deorum ipse  
non adpetas. Itaque tuam statuam in vestibulo Iovis Optimi  
Maximi unam alteramve et hanc aeream cernimus.

### b. De vele gouden en zilveren standbeelden van Domitianus zijn door de volkswede vernield (52, 3-5)

1 At paulo ante aditus omnes, omnes gradus totaque area hinc  
auro, hinc argento relucebat, seu potius polluebatur, cum incesti  
principis status permixta deorum simulacra sorderent. Ergo  
istae quidem aerae et paucae manent manebuntque, quam  
5 diu templum ipsum, illae autem <aureae> et innumerabiles  
strage ac ruina publico gaudio litaverunt. Iuvabat illidere  
solo superbissimos vultus, instare ferro, saevire securibus,  
ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. Nemo tam  
temperans gaudii seraeque laetitiae, quin instar ultionis  
10 videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremo  
truces horrendasque imagines, obiectas excoctasque flammis,  
ut ex illo terrore et minis in usum hominum ac voluptates  
ignibus mutarentur.

**c. Niet aan u, maar aan Jupiter hebben we uw goede gaven te danken (52, 6-7)**

1 Simili reverentia, Caesar, non apud Genium tuum bonitati tuae  
gratias agi, sed apud numen Iovis Optimi Maximi pateris: illi  
debere nos, quidquid tibi debeamus, illius, quod bene facias,  
muneris esse, qui te dedit. Ante quidem ingentes hostiarum  
5 greges per Capitolinum iter, magna sui parte velut intercepti,  
devertere via cogebantur, cum saevissimi domini atrocissima  
effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse  
humani sanguinis profundebat.

**d. De grote verdienste van onze keizer is dat we kritiek mogen hebben op slechte keizers (53, 1-4)**

1 Omnia, patres conscripti, quae de aliis principibus a me aut  
dicuntur aut dicta sunt, eo pertinent, ut ostendam, quam longa  
consuetudine corruptos depravatosque mores principatus  
parens noster reformet et corrigat. Alioqui nihil non parum  
5 grate sine comparatione laudatur. Praeterea hoc primum erga  
optimum imperatorem piorum civium officium est, insequi  
dissimiles; neque enim satis amarit bonos principes, qui malos  
satis non oderit. Adice, quod imperatoris nostri non aliud  
amplius ac diffusius meritum est, quam quod insectari malos  
10 principes tutum est. An excidit dolori nostro modo vindicatus  
Nero? Permitteret, credo, famam vitamque eius carpi, qui  
mortem ulcisceretur, nec ut in se dicta interpretaretur, quae  
de simillimo dicerentur.

**e. Slechte keizers mogen bekritisieren is het mooiste geschenk dat onze keizer ons geeft (53, 5-6)**

1 Quare erga te, Caesar, muneribus [omnibus] tuis omnibus  
comparo, multis antepono, quod licet nobis et in praeteritum  
de malis imperatoribus cotidie vindicari, et futuros sub  
exemplo praemonere, nullum locum, nullum esse tempus, quo  
5 funestorum principum manes a posterorum execrationibus  
conquiescant. Quo constantius, patres conscripti, et dolores  
nostros et gaudia proferamus; laetemur his, quibus fruimur,  
ingemiscamus illis, quae patiebamur; simul utrumque  
faciendum est sub bono principe. Hoc secreta nostra, hoc  
10 sermones, hoc ipsae gratiarum actiones agant, meminerintque  
sic maxime laudari incolumem imperatorem, si priores secus  
meriti reprehendantur. Nam cum <de> malo principe posteri  
tacent, manifestum est eadem facere praesentem.

## 8. DANK AAN JUPITER EN DE SENAAT (*Pan.* 94-95)

### a. Jupiter, wij smeken u om het welzijn van Trajanus (94, 1-3)

1 In fine orationis praesides custodesque imperii divos ego  
consul pro rebus humanis, ac te praecipue, Capitoline  
Iuppiter, precor, ut beneficiis tuis faveas, tantisque muneribus  
addas perpetuitatem. Audisti, quae malo principi precabamur;  
5 exaudi, quae pro dissimillimo optamus. Non te distingimus  
votis; non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non  
opes oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum  
omnium votum est, salus principis. Nec vero novam tibi  
iniungimus curam. Tu enim iam tunc illum in tutelam  
10 recepisti, cum praedonis avidissimi faucibus eripuisti; neque  
enim sine auxilio tuo, cum altissima quaeque quaterentur, hic,  
qui omnibus excelsior erat, inconcussus stetit: praeteritus est  
a pessimo principe, qui praeteriri ab optimo non poterat.

**b. Jupiter, u koos de keizer, help hem bij de keuze van zijn opvolgers (94, 4-5)**

1 Tu clara iudicii tui signa misisti, cum proficiscenti ad exercitum  
tuo nomine tuo honore cessisti. Tu voce imperatoris quid  
sentires, locutus, filium illi, nobis parentem, tibi pontificem  
maximum elegisti. Quo maiore fiducia isdem illis votis,  
5 quae ipse pro se nuncupari iubet, oro et obtestor, 'Si bene  
rem publicam, si ex utilitate omnium regit', primum, ut  
illum nepotibus nostris ac pronepotibus serves, deinde, ut  
quandoque successorem ei tribuas, quem genuerit, quem  
formaverit similemque fecerit adoptato, aut, si hoc fato  
10 negatur, in consilio sis eligenti monstresque aliquem, quem  
adoptari in Capitolio deceat.

**c. Ik dank u voor mijn benoeming tot consul (95, 1-2)**

1 Vobis, patres conscripti, quantum debeam, publicis etiam  
monimentis continetur. Vos mihi in tribunatu quietis, in  
praetura modestiae, vos in istis etiam officiis, quae studiis  
nostris circa tuendos socios iniunxeratis, cum <fidei> tum  
5 constantiae antiquissimum testimonium perhibuistis. Vos  
proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus  
adprobavistis, ut intellegam etiam atque etiam enitendum  
mihi, ut hunc consensum vestrum complectar et teneam, et in  
dies augeam.

**d. Ik zal uw vertrouwen niet beschamen (95, 2-5)**

1 Etenim memini tunc verissime iudicari, meruerit quis  
honorem necne, cum adeptus est. Vos modo favete huic

proposito et credite: si cursu quodam provector ab illo  
insidiosissimo principe, ante quam profiteretur odium  
5 bonorum, postquam professus est, substiti, cum viderem, quae  
ad honores compendia paterent, longius iter malui; si malis  
temporibus inter maestos et paventes, bonis inter securos  
gaudentesque numeror; si denique in tantum diligo optimum  
principem, in quantum invisus pessimo fui; ego reverentiae  
10 vestrae sic semper inserviam, non ut me consulem et mox  
consularem, sed ut candidatum consulatus putem.

# HOOFDSTUK 4 PLINIUS SCHRIJFT BRIEVEN

## 3. HET BESLUIT OM DE BRIEVEN TE PUBLICEREN (*Ep.* 1.1)

C. PLINIUS SEPTICIO <CLARO> SUO S.

1      Frequenter hortatus es, ut epistulas, si quas paulo curatius  
scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi non servato  
temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut  
quaeque in manus venerat. Superest, ut nec te consilii nec me  
5      paeniteat obsequii. Ita enim fiet, ut eas, quae adhuc neglectae  
iacent, requiram et, si quas addidero, non supprimam. Vale.

# HOOFDSTUK 6 BEWONDERING VOOR TIJDGENOTEN

## 2. DE BEWONDERENSWAARDIGE DADEN VAN ARRIA (*Ep.* 3.16)

C. PLINIUS NEPOTI SUO S.

### a. Arria verzwijgt de dood van hun zoon voor haar doodzieke man (1-5)

1 Adnotasse videor facta dictaque virorum feminarumque alia  
clariora esse, alia maiora. Confirmata est opinio mea hesterno  
Fanniae sermone. Neptis haec Arriae illius, quae marito et  
solacium mortis et exemplum fuit. Multa referebat aviae suae  
5 non minora hoc, sed obscuriora; quae tibi existimo tam  
mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fuerunt. Aegrotabat  
Caecina Paetus maritus eius, aegrotabat et filius, uterque  
mortifere, ut videbatur. Filius decessit eximia pulchritudine,  
pari verecundia, et parentibus non minus ob alia carus, quam  
10 quod filius erat. Huic illa ita funus paravit, ita duxit exsequias, ut  
ignoraret maritus; quin immo, quotiens cubiculum eius  
intraret, vivere filium atque etiam commodiorem esse  
simulabat, ac persaepe interroganti, quid ageret puer,  
respondebat: 'Bene quievit, libenter cibum sumpsit.' Deinde,  
15 cum diu cohibitae lacrimae vincerent prorumperentque,  
egrediebatur; tunc se dolori dabat; satiata siccis oculis,  
composito vultu redibat, tamquam orbitatem foris reliquisset.

### b. 'Paete, non dolet' (6)

1 Praeclarum quidem illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere  
pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem

immortalem ac paene divinam: 'Paete, non dolet.' Sed tamen  
ista facienti, ista dicenti, gloria et aeternitas ante oculos erant;  
5 quo maius est sine praemio aeternitatis, sine praemio gloriae,  
abdere lacrimas, operire luctum, amissoque filio matrem  
adhuc agere.

### c. Arria en de vrouw van Scribonianus (7-9)

1 Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat;  
fuerat Paetus in partibus, et occiso Scriboniano Romam  
trahebatur. Erat ascensurus navem; Arria milites orabat,  
ut simul imponeretur. 'Nempe enim' inquit 'daturi estis  
5 consulari viro servolos aliquos, quorum e manu cibum capiat,  
a quibus vestiatur, a quibus calcietur; omnia sola praestabo.'  
Non impetravit: conduxit piscatoriam nauculam, ingensque  
navigium minimo secuta est. Eadem apud Claudium uxori  
Scriboniani, cum illa profiteretur indicium, 'Ego' inquit 'te  
10 audiam, cuius in gremio Scribonianus occisus est, et vivis?'

### d. Arria was vastbesloten haar man in de dood te volgen (9-13)

1 Ex quo manifestum est ei consilium pulcherrimae mortis  
non subitum fuisse. Quin etiam, cum Thrasea gener eius  
deprecaretur, ne mori pergeret, interque alia dixisset: 'Vis  
ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum?'  
5 respondit: 'Si tam diu tantaque concordia vixerit tecum quam  
ego cum Paeto, volo.' Auxerat hoc responso curam suorum;  
attentius custodiebatur; sensit et 'Nihil agitis' inquit; 'potestis  
enim efficere, ut male moriar, ut non moriar, non potestis.' Dum  
haec dicit, exsiluit cathedra adversoque parieti caput

10 ingenti impetu impegit et corruit. Focilata 'Dixeram' inquit  
'vobis inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, si  
vos facilem negassetis.' Videntur haec tibi maiora illo 'Paete,  
non dolet', ad quod per haec perventum est? cum interim illud  
quidem ingens fama, haec nulla circumfert. Unde colligitur,  
15 quod initio dixi, alia esse clariora, alia maiora. Vale.

# HOOFDSTUK 8 POMPEJI

## 2. DE DOOD VAN PLINIUS' OOM TIJDENS DE UITBARSTING VAN DE VESUVIUS (*Ep.* 6.16)

C. PLINIUS TACITO SUO S.

### a. De onsterfelijkheid van Plinius Maior (1-3)

1 Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere  
posteris possis. Gratias ago; nam video morti eius, si celebretur  
a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim  
pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili  
5 casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima  
opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius  
scriptorum tuorum aeternitas addet.  
Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut  
facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos vero quibus  
10 utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et  
tuis erit. Quo libentius suscipio, depono etiam quod iniungis.

### b. Er verschijnt een merkwaardige wolk (4-7)

1 Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. Nonum  
kal. Septembres, hora fere septima, mater mea indicat ei  
adparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Usus ille  
sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque; poscit soleas,  
5 ascendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici  
poterat. Nubes - incertum procul intuentibus ex quo monte  
(Vesuvium fuisse postea cognitum est) - oriebatur, cuius

similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus  
expresserit. Nam longissimo velut trunco elata in altum  
10 quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu  
evecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo  
victa in latitudinem vanescebat, candida interdum, interdum  
sordida et maculosa prout terram cineremve sustulerat.  
Magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo viro, visum.  
15 Iubet liburnicam aptari; mihi si venire una vellem, facit  
copiam; respondi studere me malle, et forte ipse, quod  
scriberem, dederat.

### c. Plinius Maior gaat de mensen langs de kust hulp bieden (8-11)

1 Egrediebatur domo; accipit codicillos Rectinae Tasci imminenti  
periculo exterritae (nam villa eius subiacebat, nec ulla nisi  
navibus fuga): ut se tanto discrimini eriperet, orabat. Vertit  
ille consilium et, quod studioso animo incohaverat, obit  
5 maximo. Deducit quadriremes, ascendit ipse non Rectinae  
modo, sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus  
auxilium. Properat illuc, unde alii fugiunt, rectumque cursum,  
recta gubernacula in periculum tenet adeo solutus metu, ut  
omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprenderat oculis,  
10 dictaret enotaretque.  
Iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior  
et densior; iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti  
igne lapides; iam vadum subitum ruinaque montis litora  
obstantia. Cunctatus paulum, an retro flecteret, mox  
15 gubernatori, ut ita faceret monenti, 'Fortes', inquit, 'fortuna  
iuvat: Pomponianum pete.'

#### **d. In het huis van Pomponianus (12)**

1 Stabiis erat diremptus sinu medio (nam sensim circumactis  
curvatisque litoribus mare infunditur); ibi, quamquam  
nondum periculo adpropinquante, conspicuo tamen et, cum  
cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugae,  
5 si contrarius ventus resedisset. Quo tunc avunculus meus  
secundissimo invecus, complectitur trepidantem consolatur  
hortatur, utque timorem eius sua securitate leniret, deferrī in  
balineum iubet; lotus accubat, cenat, aut hilaris aut (quod  
aeque magnum) similis hilari.

#### **e. Plinius Maior bleef rustig en ging slapen (13-14)**

1 Interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimae flammae  
altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris  
noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione ignes relictos  
desertasque villas per solitudinem ardere in remedium  
5 formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit et quievit verissimo  
quidem somno; nam meatus animae, qui illi propter  
amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis qui  
limini obversabantur, audiebatur. Sed area, ex qua diaeta  
adibatur, ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta  
10 surrexerat, ut, si longior in cubiculo mora, exitus negaretur.

#### **f. De situatie wordt benarder (14-16)**

1 Excitatus procedit, seque Pomponiano ceterisque, qui  
pervigilaverant, reddit. In commune consultant, intra tecta  
subsistant an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque

tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis, nunc  
5 huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus  
quamquam levium exesorumque, pumicum casus metuebatur,  
quod tamen periculorum collatio elegit; et apud illum quidem  
ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia  
capitibus imposita linteis constringunt; id munimentum  
10 adversus incidentia fuit.

### g. De dood van Plinius Maior (17-20)

1 Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque;  
quam tamen faces multae variaque lumina solvebant. Placuit  
egredi in litus, et ex proximo adspicere, ecquid iam mare  
admitteret; quod adhuc vastum et adversum permanebat. Ibi  
5 super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam  
aquam poposcit hausitque. Deinde flammae, flammorumque  
praenuntius, odor sulphuris alios in fugam vertunt, excitant  
illum. Innitens servolis duobus adsurrexit et statim concidit,  
ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque  
10 stomacho, qui illi natura invalidus et angustus et frequenter  
aestuans erat.

Ubi dies redditus (is ab eo, quem novissime viderat, tertius),  
corpus inventum integrum, inlaesum opertumque, ut fuerat  
indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior.

### h. Tot slot (21)

1 Interim Miseni ego et mater – sed nihil ad historiam, nec tu  
aliud quam de exitu eius scire voluisti. Finem ergo faciam.  
Unum adiciam, omnia me, quibus interfueram, quaeque statim,

cum maxime vera memorantur, audieram, persecutum. Tu  
5 potissima excerpes: aliud est enim epistulam, aliud historiam,  
aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

# HOOFDSTUK 10 PLINIUS PERSOONLIJK

## 2. PLINIUS MIST CALPURNIA (*Ep. 7.5*)

C. PLINIUS CALPURNIAE SUAE S.

1     Incredibile est quanto desiderio tui tener. In causa amor  
primum, deinde quod non consuevimus abesse. Inde est quod  
magnam noctium partem in imagine tua vigil exigo; inde quod  
interdiu, quibus horis te visere solebam, ad diaetam tuam ipsi  
5     me, ut verissime dicitur, pedes ducunt; quod denique aeger et  
maestus ac similis excluso a vacuo limine recedo. Unum  
tempus his tormentis caret, quo in foro et amicorum litibus  
conteror. Aestima tu, quae vita mea sit, cui requies in labore,  
in miseria curisque solacium. Vale.

## 3. DE DAGINDELING VAN PLINIUS IN DE ZOMER (*Ep. 9.36*)

C. PLINIUS FUSCO SUO S.

### a. Vanaf het eerste uur van de dag (1-2)

1     Quaeris, quemadmodum in Tuscis diem aestate disponam.  
Evigilo, cum libuit, plerumque circa horam primam, saepe  
ante, tardius raro. Clausae fenestrae manent; mire enim  
silentio et tenebris ab iis, quae avocant, abductus, et liber et  
5     mihi relictus, non oculos animo, sed animum oculis sequor,  
qui eadem quae mens vident, quotiens non vident alia. Cogito, si  
quid in manibus, cogito ad verbum scribenti emendantique

similis, nunc pauciora nunc plura, ut vel difficile vel facile  
componi tenerive potuerunt. Notarium voco et die admissio,  
10 quae formaveram, dicto; abit rursusque revocatur rursusque  
dimittitur.

### b. Vanaf het vierde of vijfde uur (3)

1 Ubi hora quarta vel quinta (neque enim certum dimensumque  
tempus), ut dies suasit, in xystum me vel cryptoporticum  
confero, reliqua meditor et dicto. Vehiculum ascendo. Ibi  
quoque idem, quod ambulans aut iacens; durat intentio  
5 mutatione ipsa refecta. Paulum redormio, dein ambulo, mox  
orationem Graecam Latinamve clare et intente non tam vocis  
causa, quam stomachi, lego; pariter tamen et illa firmatur.  
Iterum ambulo, ungor, exerceor, labor.

### c. Het diner en de avond (4-6)

1 Cenanti mihi, si cum uxore vel paucis, liber legitur; post cenam  
comoedia aut lyristes; mox cum meis ambulo, quorum in  
numero sunt eruditi. Ita variis sermonibus vespera extenditur,  
et quamquam longissimus dies bene conditur. Non numquam  
5 ex hoc ordine aliqua mutantur; nam, si diu iacui vel ambulavi,  
post somnum demum lectionemque non vehiculo sed, quod  
brevius, quia velocius, equo gestor. Interveniunt amici ex  
proximis oppidis, partemque diei ad se trahunt interdumque  
lasso mihi opportuna interpellatione subveniunt. Venor  
10 aliquando, sed non sine pugillaribus, ut, quamvis nihil ceperim,  
non nihil referam. Datur et colonis, ut videtur ipsis, non satis  
temporis, quorum mihi agrestes querelae litteras nostras et

haec urbana opera commendant. Vale.

# HOOFDSTUK 11 PLINIUS GEEFT ADVIES

## 1. GRIEKENLAND ALS BAKERMAT VAN DE BESCHAVING (*Ep.* 8.24)

C. PLINIUS MAXIMO SUO S.

### a. Heb respect voor de Grieken (1-4)

1 Amor in te meus cogit, non ut praecipiam (neque enim  
praeceptore es), admoneam tamen, ut, quae scis, teneas et  
observes, aut nescire melius. Cogita te missum in provinciam  
Achaiam, illam veram et meram Graeciam, in qua primum  
5 humanitas, litterae, etiam fruges inventae esse creduntur;  
missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est, ad  
homines maxime homines, ad liberos maxime liberos, qui ius  
a natura datum virtute, meritis, amicitia, foedere denique et  
religione tenuerunt. Reverere conditores deos et nomina  
10 deorum, reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem,  
quae in homine venerabilis, in urbibus sacra. Sit apud te honor  
antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque. Nihil ex  
cuiusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex iactatione  
decerpteris. Habe ante oculos hanc esse terram, quae nobis  
15 miserit iura, quae leges non victis, sed petentibus dederit,  
Athenas esse quas adeas, Lacedaemonem esse quam regas;  
quibus reliquam umbram et residuum libertatis nomen eripere  
durum, ferum, barbarum est.

### b. Gebruik je gezag niet verkeerd (5-8)

1 Vides a medicis, quamquam in adversa valetudine nihil servi ac

liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari.  
Recordare, quid quaeque civitas fuerit, non ut despicias, quod  
esse desierit; absit superbia, asperitas. Nec timueris  
5 contemptum. An contemnitur, qui imperium, qui fasces habet,  
nisi humilis et sordidus, et qui se primus ipse contemnit?  
Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male  
terrore veneratio acquiritur, longeque valentior amor ad  
obtinendum, quod velis, quam timor. Nam timor abit, si  
10 recedas, manet amor ac, sicut ille in odium, hic in reverentiam  
vertitur. Te vero etiam atque etiam (repetam enim) meminisse  
oportet officii tui titulum ac tibi ipsum interpretari, quale  
quantumque sit ordinare statum liberarum civitatum. Nam  
quid ordinatione civilius, quid libertate pretiosius? Porro  
15 quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute mutetur!

### c. Je hebt een reputatie op te houden (8-10)

1 Accedit, quod tibi certamen est tecum: onerat te quaesturae  
tuae fama, quam ex Bithynia optimam revexisti; onerat  
testimonium principis; onerat tribunatus, praetura atque haec  
ipsa legatio quasi praemium data. Quo magis nitendum est, ne  
5 in longinqua provincia quam suburbana, ne inter servientes  
quam liberos, ne sorte quam iudicio missus, ne rudis et  
incognitus quam exploratus probatusque humanior, melior,  
peritior fuisse videaris, cum sit alioqui, ut saepe audisti, saepe  
legisti, multo deformius amittere quam non adsequi laudem.  
10 Haec velim credas, quod initio dixi, scripsisse me admonentem,  
non praecipientem; quamquam praecipientem quoque.  
Quippe non vereor, in amore ne modum excesserim. Neque  
enim periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum

debet. Vale.

# HOOFDSTUK 12 PLINIUS' CORRESPONDENTIE MET TRAJANUS

## 5. PLINIUS EN DE CHRISTENEN (*Ep.* 10. 96)

### C. PLINIUS TRAIANO IMPERATORI

#### a. Behandeling van de aangeklaagde christenen (1-4)

1 Sollemne est mihi, domine, omnia de quibus dubito, ad te  
referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam  
regere vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis  
interfui numquam: ideo nescio, quid et quatenus aut puniri  
5 soleat aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod  
discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus  
differant; detur paenitentiae venia, an ei, qui omnino  
Christianus fuit, desisse non prosit; nomen ipsum, si flagitiis  
careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim,  
10 <in> iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc  
sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani.  
Confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus:  
perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam, quaecumque  
esset, quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem  
15 obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae,  
quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos.

#### b. Procedure bij een anonieme aanklacht (4-6)

1 Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine plures  
species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore

multorum nomina continens. Qui negabant esse se Christianos aut fuisse, cum praeunte me deos adpellarent et imagini tuae, 5 quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, praeterea male dicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt re vera Christiani, dimittendos putavi. Alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desisse, 10 quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti. <Hi> quoque omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt et Christo male dixerunt.

### c. De gebruiken van degenen die zich christen noemen (7-8)

1 Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi deo, dicere secum invicem sequere sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne 5 latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias 10 esse vetueram. Quo magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere. Nihil aliud inveni quam superstitionem pravam et immodicam.

### d. Het christendom breidt zich uit, maar kan nog worden tegengehouden (9-10)

1 Ideo, dilata cognitione, ad consulendum te decucurri. Visa est

enim mihi res digna consultatione, maxime propter  
periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis  
ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et  
5 vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque  
agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur  
sisti et corrigi posse. Certe satis constat prope iam desolata  
templa coepisse celebrari, et sacra sollemnia diu intermissa  
repeti passimque venire <carnem> victimarum, cuius adhuc  
10 rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae  
turba hominum emendari possit, si sit paenitentiae locus.

# HOOFDSTUK 13 MARTIALIS I

## 2. UIT HET *LIBER SPECTACULORUM* (*De Sp.* 1, 2)

### b. Lof voor de keizer (*De Sp.* 2)

1 Hic ubi sidereus propius videt astra colossus  
et crescunt media pegmata celsa via,  
invidiosa feri radiabant atria regis  
unaque iam tota stabat in urbe domus.  
5 Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri  
erigitur moles, stagna Neronis erant.  
Hic ubi miramur velocia munera thermas,  
abstulerat miseris tecta superbus ager.  
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,  
10 ultima pars aulae deficientis erat.  
Reddita Roma sibi est et sunt te praeside, Caesar,  
deliciae populi, quae fuerant domini.

## 3. EPIGRAMMEN I (GEPUBLICEERD ONDER DOMITIANUS)

### a. Introductie bij de lezer (1.1)

1 Hic est quem legis ille, quem requiris,  
toto notus in orbe Martialis  
argutis epigrammaton libellis:  
cui, lector studiose, quod dedisti  
5 viventi decus atque sentienti,  
rari post cineres habent poetae.

### b. Lof voor Arria (1.13)

Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto,

quem de visceribus strinxerat ipsa suis,

‘Si qua fides, vulnus quod feci non dolet,’ inquit,

‘sed tu quod facies, hoc mihi, Paete, dolet.’

### c. De waarde van Martialis' dichtkunst (1.117)

1 Occurris quotiens, Luperce, nobis,

‘Vis mittam puerum’ subinde dicis,

‘cui tradas epigrammaton libellum,

lectum quem tibi protinus remittam?’

5 Non est quod puerum, Luperce, vexes.

Longum est, si velit ad Pirum venire,

et scalis habito tribus, sed altis.

Quod quaeris, propius petas licebit.

Argi nempe soles subire Letum:

10 contra Caesaris est forum taberna

scriptis postibus hinc et inde totis,

omnis ut cito perlegas poetas.

Illinc me pete. †Nec† roges Atrectum —

hoc nomen dominus gerit tabernae —:

15 de primo dabit alterove nido

rasum pumice purpuraque cultum

denariis tibi quinque Martialem.

‘Tanti non es’ ais? Sapis, Luperce.

### d. De beroepskeuze wordt uitgesteld (2.64)

1 Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis

et non decernis, Laure, quid esse velis,  
Peleos et Priami transiit et Nestoris aetas  
et fuerat serum iam tibi desinere.  
5 Incipe, tres uno perierunt rhetores anno,  
si quid habes animi, si quid in arte vales.  
Si schola damnatur, fora litibus omnia fervent,  
ipse potest fieri Marsua causidicus.  
Heia age, rumpe moras: quo te sperabimus usque?  
10 Dum quid sis dubitas, iam potes esse nihil.

### g. Voor een goed mens is het leven moeilijk in Rome (3.38)

1 Quae te causa trahit vel quae fiducia Romam,  
Sexte? Quid aut speras aut petis inde? Refer.  
'Causas' inquis 'agam Cicerone disertior ipso  
atque erit in triplici par mihi nemo foro.'  
5 Egit Atestinus causas et Civis – utrumque  
noras – ; sed neutri pensio tota fuit.  
'Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis:  
audieris, dices esse Maronis opus.'  
Insanis: omnes, gelidis quicumque lacernis  
10 sunt ibi, Nasones Vergiliosque vides.  
'Atria magna colam.' Vix tres aut quattuor ista  
res aluit, pallet cetera turba fame.  
'Quid faciam suade: nam certum est vivere Romae.'  
Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

### h. Wat Martialis waard is (5.13)

1 Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,

sed non obscurus nec male notus eques,  
sed toto legor orbe frequens et dicitur 'Hic est',  
quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.  
5 At tua centenis incumbunt tecta columnis,  
et libertinas arca flagellat opes,  
magnaue Niliacae servit tibi gleba Syenes,  
tondet et innumeros Gallica Parma greges.  
Hoc ego tuque sumus: sed quod sum, non potes esse:  
10 tu quod es, e populo quilibet esse potest.

### **i. De opbrengst van de grappen van Martialis (5.15)**

1 Quintus nostrorum liber est, Auguste, iocorum  
et queritur laesus carmine nemo meo,  
gaudet honorato sed multus nomine lector,  
cui victura meo munere fama datur.  
5 'Quid tamen haec prosunt quamvis venerantia multos?'  
Non prosint sane, me tamen ista iuvant.

### **i. Domitianus maakt de straten van Rome weer toegankelijk (7.61)**

1 Abstulerat totam temerarius institor urbem  
inque suo nullum limine limen erat.  
Iussisti tenuis, Germanice, crescere vicos,  
et modo quae fuerat semita, facta via est.  
5 Nulla catenatis pila est praecincta lagonis  
nec praetor medio cogitur ire luto,  
stringitur in densa nec caeca novacula turba,  
occupat aut totas nigra popina vias.  
Tonsor, copo, cocus, lanus sua limina servant.

10 Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

#### **n. Het paleis van Domitianus (8.39)**

1 Qui Palatinae caperet convivia mensae  
ambrosiasque dapes, non erat ante locus:  
hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar  
et Ganymedeia pocula mixta manu.  
5 Esse velis oro serus conviva Tonantis:  
at tu si properas, Iuppiter, ipse veni.

#### **o. Een triomfboog voor Domitianus (8.65)**

1 Hic ubi Fortunae Reducis fulgentia late  
templa nitent, felix area nuper erat:  
hic stetit Arctoi formosus pulvere belli  
purpureum fundens Caesar ab ore iubar;  
5 hic lauru redimita comas et candida cultu  
Roma salutavit voce manuque ducem.  
Grande loci meritum testantur et altera dona:  
stat sacer et domitis gentibus arcus ovat;  
hic gemini currus numerant elephanta frequentem,  
10 sufficit immensis aureus ipse iugis.  
Haec est digna tuis, Germanice, porta triumphis:  
hos aditus urbem Martis habere decet.

#### **r. Lof voor Domitianus (9.91)**

1 Ad cenam si me diversa vocaret in astra  
hinc invitator Caesaris, inde Iovis,  
astra licet propius, Palatia longius essent,

responsa ad superos haec referenda darem:

5 'Quaerite qui malit fieri conviva Tonantis:

me meus in terris Iuppiter ecce tenet.'

# HOOFDSTUK 14 MARTIALIS II

## 1. EPIGRAMMEN II (GEPUBLICEERD ONDER NERVA EN TRAJANUS)

### c. Lof voor Plinius (10.20)

1 Nec doctum satis et parum severum,  
sed non rusticulum tamen libellum  
facundo mea Plinio Thalia  
i perfer: brevis est labor peractae  
5 altum vincere tramitem Suburae.  
Illic Orphea protinus videbis  
udi vertice lubricum theatri  
mirantisque feras avemque regem,  
raptum quae Phryga pertulit Tonanti;  
10 illic parva tui domus Pedonis  
caelata est aquilae minore pinna.  
Sed ne tempore non tuo disertam  
pulses ebria ianuam videto:  
totos dat tetricae dies Minervae,  
15 dum centum studet auribus virorum  
hoc quod saecula posterique possint  
Arpinis quoque comparare chartis.  
Seras tutior ibis ad lucernas:  
haec hora est tua, cum furit Lyaeus,  
20 cum regnat rosa, cum madent capilli:  
tunc me vel rigidi legant Catones.

### d. Lof voor Trajanus (10.72)

1 Frustra, Blanditiae, venitis ad me  
attritis miserabiles labellis:  
dicturus dominum deumque non sum.  
Iam non est locus hac in urbe vobis;  
5 ad Parthos procul ite pilleatos  
et turpes humilesque supplicesque  
pictorum sola basiate regum.  
Non est hic dominus, sed imperator,  
sed iustissimus omnium senator,  
10 per quem de Stygia domo reducta est  
siccis rustica Veritas capillis.  
Hoc sub principe, si sapis, caveto  
verbis, Roma, prioribus loquaris.

#### g. Nerva's plaats in de geschiedenis (11.5)

1 Tanta tibi est recti reverentia, Caesar, at aequi  
quanta Numae fuerat: sed Numa pauper erat.  
Ardua res haec est, opibus non tradere mores  
et, cum tot Croesos viceris, esse Numam.  
5 Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,  
Elysium liceat si vacuare nemus,  
te colet invictus pro libertate Camillus,  
aurum Fabricius te tribuente volet,  
te duce gaudebit Brutus, tibi Sulla cruentus  
10 imperium tradet, cum positurus erit,  
et te privato cum Caesare Magnus amabit,  
donabit totas et tibi Crassus opes.  
Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris  
si Cato reddatur, Caesarianus erit.

## 2. DE DOOD VAN MARTIALIS (*Ep.* 3.21)

C. PLINIUS CORNELIO PRISCO SUO S.

### a. De dichter Martial is dood (1-4)

1 Audio Valerium Martialem decessisse et moleste fero. Erat  
homo ingeniosus acutus acer, et qui plurimum in scribendo  
et salis haberet et fellis, nec candoris minus. Prosecutus eram  
viatico secedentem; dederam hoc amicitiae, dederam etiam  
5 versiculis quos de me composuit. Fuit moris antiqui eos qui  
vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus  
aut pecunia ornare; nostris vero temporibus ut alia speciosa  
et egregia, ita hoc in primis exolevit. Nam postquam desiimus  
facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quaeris,  
10 qui sint versiculi, quibus gratiam rettuli? Remitterem te ad  
ipsum volumen, nisi quosdam tenerem; tu, si placuerint hi,  
ceteros in libro requires.

### b. Afscheid van een dichter (5-6)

1 Adloquitur Musam, mandat, ut domum meam Esquiliis  
quaerat, adeat reverenter:

Sed ne tempore non tuo disertam  
pulses ebria ianuam, videto.  
5 Totos dat tetricae dies Minervae,  
dum centum studet auribus virorum  
hoc, quod saecula posterique possint  
Arpinis quoque comparare chartis.

Seras tutior ibis ad lucernas:

10 haec hora est tua, cum furit Lyaeus,  
cum regnat rosa, cum madent capilli.

Tunc me vel rigidi legant Catones.

Meritone eum, qui haec de me scripsit, et tunc dimisi amicissime  
et nunc ut amicissimum defunctum esse doleo? Dedit enim  
15 mihi, quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset.  
Tametsi, quid homini potest dari maius quam gloria et laus  
et aeternitas? At non erunt aeterna, quae scripsit; non erunt  
fortasse, ille tamen scripsit, tamquam essent futura. Vale.